



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii**

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

**Maffei, Pietro Antonio**

**Augsburg ; Regensburg, 1740**

**VD18 80488153**

Pro die secunda Meditatio prima. De gravitate peccati mortalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

concede propitius meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ Majestati dignè merear famulari per Christum Dominum nostrum.

## *Dies secunda*

### Meditatio tertia.

*De gravitate peccati mortalis.*

**U**T finem tam creationis quàm vocationis consequaris, necessarium est, peccatorum obstacula è medio tollere: ob quam causam hodie sequentes meditationes assignantur.

Præmissæ orationi præparatoriæ consueta hæc duo præludia subjunges.

In primo imaginare tibi animam prævaricatricem tot catenis, quot peccatis à dæmone constrictam, hujus miserabile mancipium ab hoc tyranno cruento ad marginem usque infernalis barathri raptari: Deum illam contueri ut inimicam; ipsam verò enervem, & omnibus viribus ad rumpenda vincula necessariis destitutam hæere attonitam.

In secundo: instā & ora Deum, ut suum tibi lumen concedat, quo illustratus gravitatem peccati mortalis ritè ponderes & agnoscas, ut det oculis tuis lachrymas, queis peccata tua amarè defleas; vires manibus  
ad

ad dirumpenda vincula, & conterendos laqueos, quibus fortè ligatus es & dæmonis captivitatem effugiendam. In hunc finem cum Davide Psal. 24. in hæc verba prorumpit: *oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Et siquidem divina misericordia peccatorum laqueis te jam extricavit, in gratitudinis signum Deum his verbis Psalmi 123. alloquere: *anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini.* Et hæc sint pariter orationes jaculatoriæ hoc tempore antemeridiano.

Meditatio distribuitur in tria hæc puncta  
 1. Malitia & gravitas peccati mortalis in se ipso considerati. 2. Considerati in suis effectibus. 3. Considerati in pœna, & suppliciis.

### Punctum primum.

Considera peccatum mortale in seipso, & sua natura. Peccatum mortale vera est & gravissima offensio à nobis Deo facta. Ad ritè cognoscendam, & ponderandam offensæ hujus gravitatem mensura ac trutina sanctuarii sumenda est, & accuratè perpendenda sunt hæc tria: 1. offensoris vilitas, 2. offensi dignitas 3. offensæ qualitas.

1. Offensor est homo, qui si quoad corpus

pus spectatur, nihil aliud est quàm luteum vas stercoreum, receptaculum omnium immunditiarum, futurum in sepulchro pabulum vermium. Si quoad animam consideretur, inueniemus equidem hominem præditum intellectu, sed per peccatum crassis ignorantiae tenebris obscurato; voluntate, sed ab omni rectitudine, & normâ boni deflectâ, ad omne malum pronâ, ac proclivi; impressam quidem sibi adhuc gerit imaginem DEI, sed adeò per peccatum deformatam, & propè erasam: ut vix tenuia supersint vestigia. Ex se homo fuit nihil, & singulis momentis relaberetur in abyssum sui nihili, nisi Deus eum pergeret conservare. Ex se nec palpebram attrahere, nec oculo nictare, nec labra movere, nec festucam de terra tollere potest, nisi Deus vires conferat, cooperetur, & simultaneum concursum addat. Si hominem cum Deo conferam offenso, o quanta disparitas & diversitas! totum genus humanum Deo comparatum est merum, purum putum nihil. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatae sunt ei. Isai c. 40.* Quid erit homo unicus, & solus? *substantia mea tanquam nihilum ante te.* Ps. 38. Parvi penditur jactura unius militis ex toto exercitu, unius civis in urbe populosa ob nimiam inæqualitatem unius cum tot aliis. Mathematici aliàs tam accurati mentores, globum terræ, sphaeræ coeli Empyrei

com.

comparatum, intra puncti magnitudinem constringunt & nihilominus hæ comparationes non omni inter se carent proportione, cum harum utrinque termini sint finiti. Quid jam erit homo, Deo comparatus, cum unius ab altero sit infinita distantia, & finiti ad infinitum nulla proportio? verba defunt, quibus satis exprimi possit vilitas & depressio hominis ita considerati. Ego itaque, qui fui purum nihilum, qui puncto minor sum, qui ero esca vermium, qui nullum esse habeo, & postquam alieno beneficio hoc accepi, tamen omnis facultas vel minimum quid operandi deest, nisi DEUS mecum, in me, & per me operetur, insurrexi contra ipsum Altissimum! ego perfidum, & rebelle mancipium, ut excusso jugo liberè proprio indulgerem genio! & qui fieri potuit, ut eò audaciæ pervenirem? Quod barathrum proportionatum, & satis profundum erit ad absorbendam culpæ meæ enormitatem?

2. Qui offensus est, Deus est infinite potens, infinite sapiens, infinite bonus. Infinite potens, cui famulantur Angeli, serviunt elementa, abyssi obsequuntur, & contremiscunt, qui verbò unico omnia ex nihilo protulit, qui nutu unico omnia in antiquum chaos, ac nihilum rursus præcipitare potest. Summa temeritas, perfricta fronte e DEO omnipotenti opponere. *Contra omnipotentem roboratus es Job. 15. qui omnia scit, omnia per-*

perspicit, intima rimatur, corda & renes scrutatur, quidquid in secretissimo cordis angulo abditum delitescit, penetrat: *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Psal. 89. Indignissima iniquitas, in faciem insultare tam palmaribus injuriis onerato Deo! spernere, conculcare Deum infinitè bonum, qui cognitus remotò velò à facie ad faciem, cœlicolis dulcem necessitatem imponit ipsum amandi. Cùm in se contineat omne bonum, meretur, ut quidquid agitur, propter ipsum agatur; omnia corda amore ipsius colliquescant; omnium vitæ, tanquam holocausta propter ipsum consumantur: tam munificus, ut in omnes, etiam crudelissimos suos inimicos, eo ipso, quo in ipsum furunt, tempore integros beneficiorum, & favorum thesauros liberaliter effundat. Diabolica malitia, offendere tam atrociter DEUM tam bonum, & ideo tam atrociter offendere quia est tam bonus, & quia tam clementer cruentis hostibus palmares, quibus eum obruunt, injurias condonat. Fateor optime Deus! spes tam facilem iterum obtinendi à te veniam meorum delictorum animos, ne dicam stimulos, mihi addidit ad iteranda, & cumulanda peccata peccatis, sed nunc alia, & melior spes animos, & justos stimulos mihi addit ad implorandam tuam clementiam, *secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter*

ter bonitatem tuam Domine, propter nomen tuum propitiaberis peccato meo. Ps. 24.

3. Offensa Dei complectitur, quidquid offensarum est, vel excogitari potest. Est inobedientia; nam omnis peccans transgreditur legem; est injustitia; nam omnis peccans utitur creaturâ tanquam re suâ propriâ contra voluntatem Domini, nempe Dei: est ingratitude; nam omnis peccans reddit Deo pro bono malum & ipsamet beneficia accepta à Deo, vertit in instrumenta laceffendi Deum. Est contemptus DEI, nam omnis peccans postponit Deum creaturæ, & ipso facto loquens in faciem exprobrat, se parùm curare ejus indignationem, se ejus supplicia non timere; oblata præmia ridere. Est rebellio; nam omnis peccans est Dei subditus, contra hunc insurgit, jugum excutit, subesse, & eum pro domino agnoscere recusat. Est crudelitatis quædam species affectu & effectu: Affectu quidem, quia omnis peccator si non expressè, saltem tacitè & interpretativè optat destructionem ipsius Dei, & divinarum suarum proprietatum, omnipotentia, justitiæ, sapientia, ut Bernardus ait: *vellet Deum peccata aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire.* Ipso autem effectu; quia peccatum in monte Calvaria Christum, Deum hominem vitâ exuit, hinc meritò quivis peccator deicida, & Christi crucifixor vocari potest. En igitur horrendos ausus meos, quos commisi, dum peccavi!

vi! cur me terra non absorbuit, cur reliqua  
 elementa contra me non conjuraverunt, &  
 junctis viribus suffocaverunt? cur cœlum  
 in me non mille excussit fulmina? quâ fieri  
 potuit, ut patientia divina non exhaurire-  
 tur, misericordia non fatigaretur, sed ad  
 pœnitentiam me servaret, & invitaret? laus  
 itaque & honor Divinæ clementiæ, è cujus  
 sinu bini scaturiunt fontes, lactis, nempe  
*longanimitas in expectando, & facilitas in condo-*  
*nando.* S. Bern. in Cantic.

### Punctum secundum.

Jam considera peccatum grave in suis ef-  
 fectibus, qui sunt; amissio gratiæ divinæ,  
 jactura habituum supernaturalium & meri-  
 torum toto vitæ tempore collectorum.

I. Per peccatum grave deperditur gratia  
 sanctificans. Estimari satis non potest dam-  
 num, quod per hanc jacturam incurritur,  
 nisi prius sciatur pretium divinæ gratiæ: est  
 itaque hæc gratia divina, participatio quæ-  
 dam naturæ Divinæ, vi hujus nexûs illud,  
 quod Deo per suam essentiam est substan-  
 tiale, fit humanæ animæ accidentale, ut Do-  
 ctor Angelicus 1. 2. q. 116. art. 2. cum reliquo  
 Theologorum choro docet, quam suam do-  
 ctrinam hauserunt ex secunda Epistola S. Pe-  
 tri c. 1. ita loquentis: *maxima & pretiosa nobis*  
*promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ con-*  
*so-*

*sortes natura.* Hæc gratia est quædam similitudo, & imitatio communicationis, quâ se natura Patris æterni communicat, & quodammodo infundit Verbo, & quâ se natura Verbi communicat sacrosanctæ humanitati redemptoris; nam sicut per talem unionem, vel communicationem, Verbum & Christus fit ac constituitur filius Dei per naturam, ita per gratiam constituimur filii Dei adoptivi, non tantum justi, amici intimi, & familiares Dei. Fortunatissimos se credunt, qui à regum vel principum aliquo hujus terræ in filios adoptantur; quàm felices igitur illi se jure existiment, qui à rege cœli in filios adoptantur? ab illo rege cœlesti, cui omnes reges hujus mundi naturâ suâ subjecti, & mera mancipia sunt? si autem gratia nos ad sortem filiorum Dei adoptivorum elevat, nobis pariter jus ad hæreditatem paternam concedit, ut Paulus ad Rom. 8. rectè concludit; *si autem filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et ego tot ac tantos thesauros stultè projecì & abligurivi ad captandam popularem auram fœdam & momentaneam voluptatem, pugillum evapidi fumi, exiguum aliquot obolorum lucellum, pugillum hordei: perdidi amicitiam Dei, & incurrì inimicitiam illius, qui omnia potest: esse desii filius Dei, & factus sum mancipium diaboli miserrimum: excidi omni jure hæreditatis cœlestis, & me subjeci pœnæ æternæ: O me dementem! o me cœcum! qui

E

prop-

propter nugas, propter res nauci, flocci, nihili, amisi gratiam divinam, rem pretiosissimam, cujus minimus gradus pretio suo longissimè superat omnes hujus mundi thesauros: *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi.* Ita S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 9. ad 2.

2. Sublata gratia sanctificante, quæ est quædam quodammodo natura supernaturalis, nostræ conditioni naturali implantata, necessariò etiam tolluntur hujus naturæ facultates, sive potentiæ insitæ, nimirum habitus supernaturales per frequentatos actus pios & meritorios producti, & ex his omnium pretiosissimus habitus charitatis theologice, individuus comes gratiæ sanctificantis extinguitur, ita ut misero peccatori nil restet aliud, quàm fides infirma, imò mortua, spes elumbis, frigida; & hæ ipsæ virtutes infusæ, tunc penitus emoriuntur, quando directè contra has peccatur vel per hæresin aut Apostasiam, vel per desperationem. Adstabit igitur anima solis habitibus naturalibus malè tecta, spoliata spectante cælo pretiosis vestibibus virtutum infusarum, tanto pudore perfusa, quanto perfunderetur Regina aliqua, quæ in publico foro spoliata chlamyde regiâ, squalidis centonibus cooperiretur. Amissa charitate omne pretium pariter amittit oratio, amittit jejunium, amittunt eleemosinæ, nihil profunt ad obtinendum salutem æternam:

hæc

hæc opera omnia utuntur aliis magni sint roboris ac pretii, sunt instructuosa, sunt mortua, nec in censum veniunt apud divinam justitiam, quippe nullius ponderis aut valoris in ipsius statera, in qua tantum approbantur opera plena, & cœli meritoria *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nil mihi prodest:*

1. Cor. c. 13. Vide jam, in quas miseras anima præcipitetur per peccatum: redditur incapax vel minimum quid merendi per sua opera, incapax lucrandi indulgentias, & harum ope subsidiariâ debitas in purgatorio carcere pœnas expungendi; excluditur à communione Sanctorum, & thesauro communi tam meritorum, quàm satisfactionum à fidelibus omnibus in unum collatorum; longè deterioris conditionis, quàm ullus sit, qui ad incitas redactus est; nam licet hic ipsemet solvendo non sit, liberari tamen suis debitis ab alio potest; quo privilegio gaudere non potest anima, peccato mortali constricta.

3. Peccator non solum amittit valorem omnium bonorum operum, quæ patrat in statu peccati, sed omnem etiam demit illis piis operibus, quæ olim in statu gratiæ peregerat, hoc solo intercedente discrimine, quòd illorum jactura sit perpetua & irreparabilis, cum nunquam per gratiam aut charitatem fuerint animata, sed in ipso ortu mortua; istorum verò jactura sit reparabilis per

pœnitentiam; cùm in ortu suo fuerint viva, & per superveniens peccatum mortale solùm fuerint mortificata, sive sopita. Sed tamen observandum, secundum, quod quis patitur, detrimentum, non minoris esse considerationis, quàm primum, ex duplici causa; nam non minùs secundi ordinis opera bona omni in perpetuum pretio carere deberent, quàm primi generis, cùm rebellio, quæ contra Deum per quodvis grave peccatum committitur, mereretur puniri confiscatione non solùm temporaria eorum bonorum operum, quæ operatus es, sed hanc confiscationem pariter oporteret esse perpetuam, quamvis Divina justitia ex misericordiæ & bonitatis amore nolit uti summo rigore; & hinc nobis promiserit restitutionem bonorum omnium per peccata deperditorum: *restituam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus.* Joël. c. 2.

Secunda causa est, quòd omnia merita vitæ præteritæ sepeliantur, & deperdantur, etiam si plura & excellentiora forent, quàm merita Hilarionis, qui septuaginta, quàm Antonii, qui nonaginta, quàm Romualdi, qui centum & ultra annis jejuniis, vigiliis, corporis macerationibus, perpetuis psalmodiis asperrimam duxere vitam, & Deo servierunt. Peccatum tam pestilentem afflat auram, ut non solùm fructus, sed ipsam arborem, ejusque radices inficiat, corrumpat & exurat; est grando tam horrida, ac spissa, ut in vineis  
nec

nec uvæ racemum, in agris nec spicam, nec granum faciat reliquum. Collegerit quæcunque tandem anima in sinum suum merita omnium, quotquot unquam hanc terram incoluere, & nunc cœlum incolunt cœlites; merita ipsius divinæ Matris, quæ sola omnium cœlitum, etiam spirituum Angelicorum merita longè excedunt; merita ipsius Redemptoris mundi infinita; finge talem animam extitisse ab æterno, ipsi DEO coævam, & singulis horis, vel si placet, singulis momentis hunc immensum meritorum cumulum duplicatò semper incrementò auxisse, unicum, quod admittat, peccatum mortale, illam in ictu oculi spoliabit his immensis divitiis, & tam robustæ malitiæ erit, ut omnes hos cœlestes thesauros evertat: *si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur amplius.* Ezechiel. c. 18. *omnes, omnes.* Vade nunc pace mea, jacta te, quòd peccaveris, & nihil mali tibi inde evenerit: *Scito, & vide quia malum & amarum est, reliquisse te dominum Deum tuum.* Jer. c. 2.

### Punctum tertium.

Considera peccatum grave, & hujus gravitatem desume ex pœnis quæ ipsi jure merito à Deo infliguntur in cœlo, in terra, & in inferno.

1. Peccant in cœlo spiritus Angelici, creaturæ nobilissimæ, & omnium creaturarum primitiæ præstantissimæ, ingratiſsimæ tamen simul erga divinam munificentiam, quæ illos ex nihili abyſſo benigniſſimè extractos in cœlo empyreo, omnibus præclarissimis tam naturæ quàm gratiæ dotibus liberaliſſimè instruxerat. Vocantur ad tribunal divinæ Nemesis: totus reatus commiſſi delicti consistit in actu superbiæ, dum suum ultimum finem ut S. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. censet, vel in beatitudine aliqua naturali, viribus naturalibus, obtinendâ collocant, vel certè si sibi pro fine ultimo præfixerant, beatitudinem aliquam supernaturalem, voluere tamen hanc ita constitutam esse oportere, ut eam sibi congenitis, & in ipsa creatione suæ naturæ inditis viribus, absque alio alterius adminiculo, se solis consequi possent.

Collige jam, ac perpende, quàm grande malum sit, ab ultimo tibi præfixo fine per peccatum deflectere. Deus hac injuria irritatus, nec unicum quidem momentum ad pœnitentiam indulſit prævaricatoribus angelis; & quamvis hi ex numero innumero conficerent tertiam partem, ne uni quidem ex his pepercit, & nullo habito respectu ad horum multitudinem, ad excellentiam naturæ Angelicæ, ad eorum potentiam, sapientiam, ad ea, quæ præstituri fuissent ad Dei gloriam & honorem, si per pœnitentiam deleto peccato in pristinam gratiam

tiam & amicitiam Dei admissi fuissent; ad ea, quæ patraturi erant in Dei contemptum, siquidem omni ad pœnitentiam agendam negatô spatiô, æternum gratiâ & amicitia Dei excludendi essent, exuit ipsos omnibus gratiæ donis, obruit ipsos omni pœnarum genere, detrusitque in imum inferni barathrum.

Longe majori jure siue delicta, siue delinquentem spectes, poterat & debebat contra me hunc justitiæ suæ rigorem expromere: confringit, & comminuit ille vasa aurea, quia invenit illa venenô culpæ mortalis infecta, & ego non contremiscam totis artubus, qui sum vile & luteum vas figuli: *Ulula abies, quia cecidit cedrus Zachar. c. 11.* Delictum Angelorum erat unicum; delicta mea sunt innumera: peccârunt illi tantummodo cogitatione; ego iniquis cogitationibus iniquiora adjunxi opera: error eorum is unicus erat, se supra conditionem siue naturam angelicam extollere, meus error erat turpis illa animi vilitas, qua me infra ipsas bestias abjiciebam: ingrati fuere angeli, non tamen Domino, qui jam sæpius ipsis pepercit, qui pro ipsis passus, & mortuus fuerat, ego ingrattissimus fui Deo ac Domino, qui toties mihi ignovit delicta enormissima, litrum pro me redimendo persolvit immensi pretij, proprium nempe sanguinem usque ad ultimam guttulam; ipsis nec unicum temporis momentum, ut ad se, ad pœnitentiam redirent, indultum est; mihi sine fructu

obtruduntur dies, menses, anni & anni, lustra, & lustra. Exhorresco, stupidus, & attonitus mihi ipsi eripior, periculum contemplans, cui me ipsum exposui. Detestor detestandam ingratitude, quam commisi: fateor me omni gratia, & misericordia Divina esse indignissimum; firmiterque statuo ac propono, tot actibus severæ pœnitentiæ delinire Dei clementiam, quot delictis eam exasperavi; & tot de me facere holocausta, quot habui de me oblectamenta, ne pœnitentia sit minor crimine.

2. Adam creatori suo ingratiſſimus peccat in Paradyſo, immemor te ab hoc, ad ſimilitudinem ſuam efformatum, toti terrarum orbi, cæterisque creaturis hujus incolis cum ſummo imperio præſectum, intellectu, & ſcientiâ instructum, gratiâ dotatum, à repugnantia rebellium animi affectionum liberum, nulli morbo, nec ipſi morti ſubjectum, in deliciarum horto collocatum, ad ſupernaturalem gratiæ ſtatum elevatum, in quo ipſe ſuique poſteri omnes ſibi mereri poterat intuitivam Dei viſionem, & æternam felicitatem: nec alium canonem, aut tributum ſupremo ſuo Domino ad conſervandum ſibi ſuiſque in perpetuum tantum feudum ſolvere, & homagium præſtare jubebatur, quàm abſtinere ab uno tantùm & futili fructu in teſtimonium debitiæ ſubjectionis, & obedientiæ: peccavit ergo Adamus per hoc, quòd Deo fuerit inobediens,  
ut

ut obediret & placeret suæ sociæ, quæ renidente vultu, captiosis verborum lenociniis muliebres blanditias adjungens, fatale pomum ipsi porrexit gustandum.

Et tu quoties maluisti displicere Deo, quàm amico? considera jam pœnam, quæ inflicta fuit delinquenti, ob hoc peccatum, & delinquentis posteris. Delinquens è Paradiso deliciarum, in quo regnabat, proscriptus, & ad triste exilium, fisco addictis bonis, & possessionibus omnibus, ad operas, ad colendam terram, ad laborem, ad tolerandos dolores, ad infirmitates, ad mille morborum genera, ad ipsam mortem est condemnatus? insurgunt, & arma sumunt contra ipsum suimet proprii appetitus, & affectus; creaturæ omnes ipsi bella movent: elementa rumpunt pacis vincula, quam sanctè hætenus ad ejus utilitatem coluerant: terra nihil illi jam profert aliud, quàm spinas & tribulos; bestię omnem ipsi denegant subjectionem, totus terrarum orbis videtur contra ipsum conjurasse.

Et hæc mala omnia parvi pendenda sunt, si cum divitiis gratiæ supernaturalibus, quas amisit, comparentur: sed omnium maximè asperitatem pœnæ exasperat, & demonstrat, quòd criminis læsæ Majestatis reus, omnes suos posteros in eandem secum ruinam, & perditionem traxerit: omnia hujus mundi mala & ærumnæ, bella, discordiæ, tumultus, annonæ caritas, alimentorum penuria, fames, pestis,

E 5 morbi,

morbi, & mortes, sunt meræ pœnæ, peccato Adami inflictæ, & hujus amaræ appendices.

Intra quinquaginta sæcula post perpetratum ab Adamo peccatum jam elapsa, mortui sunt milliones & milliones hominum. Imaginare, & exstrue tibi in tua phantasia, ex omnium hæctenus extinctorum ossibus ingentes, diversosque cumulos, lachrymabiles catastas, hisque singulis adscribe sequepedalibus litteris lamentabilem Epigraphen: *per peccatum mors*. Unius solius peccati fructus funesti. Annumeremus his corporum omnium stragibus, & mortis trophæis, tot strages, & mortes æternas, si non omnium, saltem majoris partis animarum, quæ toxicum fatale, perditionis suæ primam radicem & originem ex mortifero illo Adami pomo suxerunt. Annumeretur his mors spiritualis, peccatum mortale à tot ac toties commissum, quod ad eum, qui hoc perpetrat, relatum, est culpa; relatum tamen ad originale Adami peccatum, est pœna. Tot ac tanta mala procreavit unum unicum peccatum: Et hæc consideratio non sufficiat ad detegendam & agnoscendam peccati malitiã?

Et quot ex capitibus non fuerunt majora & graviora mea peccata, quàm fuerit peccatum Adami, sive considerem peccatorum meorum subjectum, aut objectum, sive numerum, sive finem, sive media, sive locum, sive tempus; quàm longè minor, mitior & brevior hæctenus pœnitentia, quàm

ego

ego egi, quam fuerit pœnitentia ab Adamo acta, quæ per nongentos protracta est annos! & tamen nec hæc tam diuturna, tam rigida nongentorum annorum pœnitentia par fuisset delendo & eluendo peccato, nisi adhibitus fuisset prolixivio sanguis expressus ex omnibus venis crucifixi Dei hominis. Et ego mihi blandiar, & plus justo mihi præstitisse videar, si levi flagello unum vel alterum levem ictum tremulæ cuti inflixero, & magis aërem, quàm tergum verberavero? si unius vel alterius diei ultronco jejunio abdomen tantisper contraxero?

3. Invenire est aliquos, qui propter unicum peccatum grave inferno addicti, æternis pœnis justè puniuntur. Hæc unica cogitatio tantum tibi timorem & horrorem incutere deberet, ut artubus omnibus contremisceres: tot meritis sum infernos, quot peccata mortalia perpetravi; fui tam cœcus, ut peccatum tam grave pro re levissima, nauci & nihili haberem; imò ut haberem pro malo, de quo etiam gloriari, & me jactare, quòd in lusum ac jocum risu, & plausu dignum trahere possem. O mi Deus! qui tantâ mecum hucusque usus es clementiâ, ut me tamdiu expectares, & invitares ad pœnitentiam, fac, ut tandem cor meum durissimum collique scat, & in integra lachrymarum flumina, serix pœnitentiæ, & veræ compunctiõnis liquidissima testimonia diffluat, & his fœdas peccatorum maculas

culas eluat simulque ignem illum infernalem, cui me ipsum toties per peccata mea addixi, extinguat.

Omnipotens, & mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia lachrymas compunctionis, ut peccata nostra plangere valeamus, remissionemque eorum te miserante mereamur accipere: per Christum Dominum nostrum Amen.

## Dies secunda

### Meditatio quarta

#### De peccatis propriis.

**P**ost consuetam orationem præparatoriam præmittas meditationi sequentia duo præludia.

*Primum.* Siste te tibi met ipsi ante oculos animi instar Jobi plagis innumeris oblitum, ita ut nec corpus, nec animus ullâ, vel minimâ sui parte sit vulneris expers & sana; memoria laborat oblivione Dei, summi & veri boni: intellectus cæcutit in agnoscendis, & capiendis veritatibus æternis: voluntas cæca à cæco intellectu ducta, sæpissimè boni locò amplectitur malum, sensus sæpissimè